His igitur sic deťminatis dicimꝰ ꝙ aīa rōnalis differt ab intelligentia celesti. Per intelligibilia em̄ que sunt cū tēꝑe ⁊ ꝯtinuo peruenire hȝ ad intelligibile qđ ſm esse et essentiā per se est intelligibile: ⁊ si est oꝛdo in illis per se intelligibilibꝰ/ hȝ deuenire ad pꝛimū intelligibile qđ est cā oīm alioꝛū et in illo stat sicut in virtute sue sapientie ⁊ ꝯtēplationis finalis: ꝓpter qđ oīa intelligibilia amminiculantia sunt ad pꝛimū intelligibile sicut dicit alphoꝛabius et auēpeche. Illud em̄ qđ est cū ꝯtinuo et temꝑe lumen hȝ ex parte cuiꝰ est intelligibile: ⁊ illud lumen illuminat intellectū et sub ipso lumine duplicis illius intelligibilis efficit intellectꝰ amplioꝛis capacitatꝭ ꝙ̄ ante fuit: et disponit ad altiꝰ

p duplex lumē phisici itelligibil' qd est cū tpe acceptū. Et qm in tellect⁹ qui reflexus fuit ad sensum reuertit' ad seipm retinet lumē itelligibilis: eo q̄ h̄ sibi ꝛ nō sensui erat propriū / lꝫ cū sensu ſm vnū modū ꝛ a sensu ſm aliū modū sit acceptū. Qꝫ aūt intellectui sit ꝛ non sensui ꝓpriū patet per hoc q̄ intelligibile primū incorruptibile est: qm̄ ratio albi et ratio calidi que a sensu accipitur perpetua est et incorruptibilis: similiter aūt ratio carnis et ratio hoīs et ratio animalis que cū sensu accipit' / eterna hoc modo est q̄ eternū dicitur incōmutabile: incōmutabilitas aūt q̄ eťnitas vocat' in talib⁹ est a lumine intellect⁹ agentis per qd mouentur in intellectū possibilē: sicut patet per h̄ in p̄cedētib⁹ et in libro de anima et in libro de intellectu et intelligibili dicta Omni aūt eodē modo dicim⁹ de his que intelligunt' cū ꝯtinuo ex intellectu reflexo ad imaginationē: hec ei non imaginatōis sunt ꝓpria sꝫ intellect⁹: et ipsoꝝ eternitas est ab intellectu: sicut q̄ dyameter est asymeter / et senari⁹ nūerus est perfect⁹ / et alia quecunqꝫ sunt talia. Hec igit' retinet lumina intellect⁹ ad se reuersus / et ex his luminib⁹ illuminat' / et sic illuminat⁹ efficitur amplioris facultatis in intelligendo q̄ꝫ sit per seipm: ꝛ iō lꝫ per seipsum intellect⁹ noster se habeat ad ea q̄ per se intelligibilia sunt / sicut oculi noctue et vespertilionis ad lumē solis / tn̄ his luminib⁹ fortioris efficitur luminis: itaqꝫ iā ꝓportionat' facultas

eius his q̄ per se sūt intelligibilia. Et sicut venit ab intellectu cū tēpore ad intellectū cū ꝯtinuo/et ab intellectu cū ꝯtinuo ad intellectū intelligibilis per se qđ tñ ſm esse est cū tēpore ꝛ ꝯtinuo: ita venit ab intellectu illi⁹ ad intellectū intelligentie: ꝛ ꝯfortat⁹ a lumine intelligentie venit ad intellectū prime cause: ꝛ stat ibi qꝛ ipsa est vltimū intellectiuū qđ est lumen oīm intellectoꝝ: sic igitur ꝑficiscit̄ in contēplatiuā felicitatē verus ꝛ purus anim⁹ sequens ꝛ colligens id qđ est puri intellectus in oībus reb⁹ exaltans se in illo vsqꝫ ad supmū intellectoꝝ: ꝓpter qđ ꝑ omnib⁹ primi phi studētes primo in phisicis venerunt p⁹ ad mathematicalia/vltimo ad studiū diuinoꝝ venientes et in eis vitā finierūt. Et hanc felicitatē pre omnib⁹ alijs Solon atheniensis cōmendat dicens animā post mortē in his felicitari: ꝓpt̄ qđ cū in vltimo spiritu esset constitut⁹ ꝛ metrodor⁹ et quidā alij corā eo ꝯferrent de quodā intelligibili diuino: supra vires collecto spiritu caput erexit: et cū a metrodoro cōpatienti sibi rogaret̄ caput ad ceruical submittere/dixit sinite vt hoc intelligibile de quo ꝯfertis apprehendā anteqꝫ moriar vt ampliori luce felicitatis eleuet̄ intellectus. Hic igitur est status aīe rōnalis p⁹ mortē felicissimus et in luminibus istis ſm naturam.

Conclusio tercia Scdm debitū ordinē procedendi et vt aīa rōnalis veniat ad vltimā contēplationē in qua ꝯsistit summa felicitas qꝛ status post mortē: necessariū est ꝙ primo illuminet̄ aīa ab intelligibilib⁹ primi ordinis vt a luminibus taliū intelligibiliū confortata capatior fiat ad intelligibilia scdi ordinis: deinde oportet ꝙ illuminetur ab intelligibilib⁹ secundi ordinis ꝛ cū illustrata est ab intelligibilibus substātiarū materialiū tunc conficitur apta ad hoc vt illuminetur a substantijs inmaterialib⁹; ꝛ tandē aciē intellectus figit in primū intelligibile

perfectissimū in quo reperiunt oēs bonitates eminenter et vnitissime in alijs sparsim cū imꝑfectiōe reperte. Et huic sententie alludit paul⁹ scribens ad romanos primo capl'o dicens Inuisibilia dei et deus (quē nemo vidit vnq̄ꝫ prime iohannis quarto) a creatura mundi.i.ab hōie per ea que facta sunt ⁊ intellecta conspiciunt. Ubi nota ꝙ felicitas ꝯtēplatiua de qua philosophi gentiles tractauerūt in cōtemplatione dei consistit: qꝛ ẜm Aresto. in decimo ethicoꝝ cōsistit in actu altissime potentie que in nobis est ẜm aliquos intellect⁹ ẜm alios ꝓo voluntas: ⁊ habitu nobilissimo scꝫ sapientia: ⁊ in obiecto dignissimo qđ est prima causa a qua tota natura dependet que est de⁹ gloriosissimus. vnde ⁊ philosophi gentiles vltimū temp⁹ vite sue reseruabāt ad contēplandū diuina: precedens tempus in alijs scientijs vtpote phisicalib⁹ et mathematicalibus expēdentes vt ex illis habiliores fierent ad intelligendum diuina.

Econtra aūt est de animab⁹ istis q̄ hāc negligūt intellect⁹ perfectionē. Sicut em̄ intelligibile per lumen intellect⁹ agentꝭ mouetur ad intellectū possibilē: ita per ꝯmixtionē materie mot⁹ et quantitatis obscurat / ⁊ contractū non est nisi hic ⁊ nunc / ⁊ nō accipit ip̄m anima rationalis nisi ꝓut est hic et nunc: sic aūt nec liberū est: et si accipit ip̄m anīa rōnalis vmbrosum et materiale est et ideo nihil luminis accipit ex ipso totalr̄ accipiēs ip̄m aīa: ꝓpter qđ per ip̄m non hꝫ viā ad veꝝ ⁊ puꝝ intelligibile in quo perfecte lucet anima: et ideo omni luce destitutus intellect⁹ h⁹ manet tenebros⁹ in seip̄o / nec est irradiabilis hic intellect⁹ post mortē: quoniā (sicut in an̄habitis dixim⁹) intellect⁹ possibil' nō est susceptiu⁹ luminis qđ veꝝ lumē intellectus est nisi ꝯfortat⁹ luminib⁹ his que a sensu vel cū sensu / ab imaginatione vel cū imaginatōe sumit: ad sensum aūt ⁊ imaginationē impossibilis ē regress⁹ post mortē: et ideo talis intellect⁹ possibilis impossibil' ē ad illuminatōnē / ẜ remanet ī perpetuis tenebris que sunt luminis intellectualis priuatio ⁊ destitutio. Et si quis obijciat

ꝙ in anima rōnali pꝰ mortē manent potentie vegetatiue ꝛ sensi
tiue ſm ea que añ dicta sunt: et iō per illas possunt accipi hmōi
lumina. Dicendū ꝙ non sic remanēt ꝙ possunt reduci ad actū:
q꞉ sicut diximꝰ he potentie organice sunt ꝛ ideo non veniēt ad
actū nisi ꝑ organi armoniā: ꝛ organi tūc nō pōt esse resumptio
ſm naturā. Et iō remanet in vmbris et tenebris perpetuis ſm
naturā: ꝛ forte hec fuit cā ꝙ quidā philosophoꝝ dixerunt aīas
post mortē transcorpari et tādiu trāsfundi donec ꝑ lumina in=
tellectualia q̄ dicta sunt cōfortate ad lumen diuinū ꝓficiscant.
Hec igitur est causa ꝙ etiā ꝯtēplatio huius firma ꝛ pura sūmū
bonū hoīs esse ponit a philosophis/in quo est status felicitatis
ipsius: et h̄ esse non pōt nisi ſm oppositū illiꝰ inesset infelicitas.
Amplius ſm cōtēplationē intelligibilis qđ cōmune est intelle
ctualibꝰ substantijs sepatis a mortali corpore et aīe intellectua
li/nequaq̄ȝ inesset felicitas nisi hec felicitas ꝯueniret anie intel=
lectuali ſm ꝙ est sepata ꝛ post mortē corpis remanens. Hoc est
igitur quod dictum est de statu anime rationalis post mortem
manentis q̄ȝtum ad intellectū ipsius dici potest.

Cōclusio vltima huiꝰ capituli Econtra est de anima que exn̄s in corpe semp
afficitur tempalibꝰ cū hic ꝛ nunc conceptis: que nō illuminat ab intelligibilibꝰ
ſm prehabitū ordinē in praxi: talis em̄ anima non disponitur nec aptat ꝑ illu=
minationes iutelligibiliū vt post eiꝰ sepationē a corpe videat illud purū lumē:
ꝛ ideo semper manet affixa cognitioni que est cum hic ꝛ nunc: nec vnq̄ȝ speculat
aliquid nisi vmbrosum sicut pretactum fuit in premisso capitulo.

Capitulum decimumquartum de perfectione anime post mortem ſm statum virtutis ſm peripatheticos.

De parte aũt aie qua vult et opatur (que pars appetitiua ꝛ affectiua vocatur) est alia via pfectōis ſm sententiā peripateticoꝝ. Hi eñi aiam perfici dicunt virtutibꝰ/ quadruplici ṽtute apud se solā q̄ sunt virtus moralis: virtus intellectual': virtus quā vocāt heroicā: et quarta quā diuinā appellant. Moralē aũt in duo diuidunt: qm̄ ea que in passionibꝰ mediat hꝫ mediũ q̄ ad nos/ ꝛ ea que ē in cōmutationibꝰ ꝛ distributionibꝰ ſm cōciuilitatē ad alteꝝ hꝫ mediũ qd̄ ſm rem eq̄le ē aut ſm rōnē medij aritmetrici aut ſm rationē geometrici: quoniā in cōmutādo sequit' mediũ aritmetricũ et in distribuēdo seq̄t' mediũ geometricũ. In intellectualibus aũt mediũ virtutis est recta ratio: sicut patet in omni intellectuali ṽtute que est sapientia/ intellectus/ scientia/ prudētia/ et ars/ et sub his ꝯtenta: lꝫ aũt virtꝰ moralis circa passiōes mediās hꝫ mediũ q̄ ad nos cũ participat ipm̄ deẗminata rōne ꝓut sapiens deẗminauit vt in ethicis habet determinari: ratio aũt per sapientē determinata et prudentē perpetua est. Virtꝰ igitur ex parte illa aliquid perpetuum habet.

☞ Istud est caplm̄ decimũquartũ in ordine huiꝰ secundi tractatꝰ in quo dñs Albertus principalr' intendit istā primā ꝯclusionē Peripathetici aiam rōnalē dicunt perfici quatuor virtutibꝰ siue quatuor generibꝰ virtutũ scꝫ mediantibꝰ moralibꝰ virtutibꝰ: intellectualibꝰ: virtute heroica: ꝛ virtute diuina. Virtutibꝰ siquidē moralibꝰ aia perficit' ea parte qua cōmunicat cũ bestijs: qr virtutes morales ponunt' subiectiue in ꝯcupiscibili ꝛ irascibili potentijs appetitiuis sensitiuis. Virtutibus ṽo intellectualibꝰ perficit' ania rōnalis ea parte qua differt a brutis scꝫ ſm rōem ꝛ intellectũ. Virtute aũt heroica que est quedā firmitas ex

indeflexibilitas ab honesto ꝑficit' hō ſm affectū surſuꝫ. Sꝫ v̄tute diuina ꝑfici'
ania inq̄ꝫtū quoddā diuinū in ea existit que est speculatio perfecta summi boni.

Ampli⁹ aūt irascibile et cōcupiscibile nō sunt susceptibilia vir-
tutis nisi eatenus qua participant aliquid rōis et intellect⁹: cū
eñ nō sunt in itellectuali substātia nisi ſm esse potētiaꝝ / ꝑsua-
sionē et ordinē a rōne ꝛ intellectu accipiūt: ꝛ in ꝓhabitis ōnsuꝫ
est q̄ꝛ ex parte illa etiā ipse potentie ꝑpetue manent in ipa aīa:
eodē mō est de medio iusticie cōmutādo et distribuēdo: q̄uis
eñ omnino nulla sit cōmutatio vl' distributio / semꝑ necessariū
et eternum incōmutabile est qđ equale inter damnū et lucrū /
siue inter min⁹ habere et plus hr̄e damni et lucri mediū est cō-
mutatiōis et distributōis. Cū igit' sint grad⁹ in virtutib⁹ dicti
et venit' per asuetudinē operū ad virtutē moralē / ꝛ ex ꝑfectiōe
moralis venit' ad heroicā / et per heroicā venitur ad diuinā: et
intellectuales sunt regentes et ordinātes in oībus his. Est eñ
virtus heroica idē qđ diuinoꝝ virtus: diuinū āt dicit illud qđ
suꝑest: insuper aūt esse necesse est q̄ꝛ aliquid suppo nat ꝛ aliquid
superius contineat ne decidat.

☞ Secūda cōclusio. Quia sensitiue potentie appetitiue irascibil' ꝛ ꝯcupiscibil'
sunt in anima sub esse rōnabilitatis ideo ꝑsuaderi ꝛ refrenari possunt a rōe vt
efficiant' subiecta virtutū moraliū: q̄ꝛ mediū in quo cōsistit virtus moralis de-
terminat' a ratione nō qualibet sed sapientis ſm Aresto. in secūdo ethicoꝝ. Ex
ista ꝯclusiōe ptꝫ quare in irascibili ꝛ cōcupiscibili potentijs appetitiuis brutoꝝ
non possunt esse virtutes morales: hoc eñ iō est q̄ꝛ nō sunt coiuncte rōni tanq̄ꝫ
potentie suo actui: sed rationis est inuenire medium virtutum.

Suꝑius aūt in hoie est id qđ ē mentis bene ꝯstitute ꝛ ordinate
Illud ergo qđ continet hoiem in his que ꝯstituūt mentē itaq̄ꝛ

nec modicū deflectatur a mentis ꝯstitutōe et ordine: dat ei virtutē heroicā. Continentia hui⁹ et supponentia hoīem sup sensum et passiones nō sunt nisi pulcra ⁊ bona mentis. Continēs ne decidat non est nisi indeflexibil' honestas: ꝑpter qđ due vel tres potissime sunt virtutes heroice. Ea eñ que supponit passionib⁹ vocatur ꝯtinentia: et ea que supponit parti aīali qua cōmunicam⁹ cū brutis vocatur dñalitas a quibusdā / et a quibusdā libertas / et ab alijs hūanitas: ⁊ hanc alij sub cōtinentia compꝓhendunt. Ea vo que supponit ꝯmunicationib⁹ vocatur amicicia: qđ facile est videre per singula: qm̄ ꝯtinentia est mora in mente vt dicit Aresto. hoc est ꝙ homo in mēte bñ ꝯstituta sic ꝑmanet ꝙ nullo mō exeat regulas mentis ꝑpter aliquā violentiā passionis inclinantis ad turpe: sic eñ ꝯtinens se in mēte omnib⁹ dominaᷣ passionib⁹: silr aūt stans et attingens dignitatē intellect⁹ et rōnis ⁊ regulas ei⁹ indeflexibilr sequens nullo modo deijcitur ad brutalia siue feralia que sunt ire ⁊ furie et mechie ꝯcupiscentiaꝝ et turpitudines eoꝝ que impetu quodā concupiscentie vel ire in brutis feris agi videm⁹: et hec est dominatio quedā nature hūane et libertas que nō est acta ab impetu nature / sed potius agit naturā sicut dixim⁹ in añhabitis: et est vera et brutalitate exaltata hūanitas. Et iō hec sibi noīa attribuunᷣ. Amicicia aūt fundaᷣ sup honestū vt in hoībus nō nisi honesta et ꝑpter honestū diligam⁹: et qualescunqꝫ sic dili-

gimus cū his optime cōmunicam⁹: et ideo ē illa sūma oīm cō-municationū. Si igitur hec tria indeflexibilē habeāt vigorē faciūt hoīes ꝑ h̄ ꝙ sunt heroice virtutis: ꝛ stati etiā cuilibꝫ patet ꝙ oīa hec sunt que infra limites mētis ponūt brutalia q̄ nobis ex cōi genere aīaliū ꝯueniūt. Passiōes eī naturales quas infra limites mentis frenat ꝯtinentia (ſm ꝙ cōtinentia est mora siue ꝑmanentia in mente ꝛ violentia passionis) nō extrahunt̄. Humanitas eī in mente que est illaꝝ mensura intra mentis metas ponit ipsa aīalia: ne impetu agant ſꝫ poti⁹ ad normā obediant rationis: et hec in seipo ꝯstituūt heroē. Amicicia aūt ꝑficit ad alterꝫ vt non furijs aut libidine ceca ferat̄ ad alterꝫ sicut bestie: sed potius amicicia honesti cū vicij indignatōe: sic aūt ꝑfectio heroice ſm mentē non est in vltimo sue felicitatis / nisi etiā hec tripartita ꝯuertant se ad vnū qđ ſm simplicē intellectū ē bonū. Cū enī virt⁹ moralis sit circa delectatōes h̄ntes ꝯtrariū / et silr virtus heroica ꝯtrariū hꝫ / nō ꝑfit delectatōes illaꝝ virtutū eē perfecte et omnimode firme ꝛ pure: eoꝙ aliquid sit ꝯtrariū cō-turbās virtuosum: sed in simplici intellectu speculāte verꝫ simplex ꝛ purū et firmū de quo vere ē sapientia que nō hꝫ ꝯtrariū / ē delectatio nullū omnino h̄ns cōtrariū. Et si quis ista diligēt̄ cōsideret: virt⁹ moral̄ ea que innaturalia ꝛ egritudinalia ꝛ corruptiua sunt nature sicut est suꝑfluū ꝛ diminutū tā in passiōib⁹

innatis q̃ in passionib⁹ illatis q̃ etiã in dãnis ꝛ lucris cõmuta tionũ ꝛ distributionũ ciuiliũ/ad naturã reducit. Oĩa enim hec sunt innaturalia et corruptiua nature: ꝛ tñ per virtutes mora= les ad naturã reducunł: ꝓpł qđ etiã has nati sum⁹ suscipere/ cũ tamẽ insunt ꝑm naturã cõis generis/ eoꝝ casta ꝛ fortia ꝛ cõ municatiua et ciuilitatẽ custodiẽtia inueniunł animalia bruta sicut nos oñdim⁹ in libris añ habitis illi⁹ sciẽtie: rectificata aũt sic natura cõis generis ꝑ virtutẽ moralẽ reducił totũ istud na ture bonũ ad bonũ sup̃ioris nature que est mens mensurãs et aliqñ ratio dł ꝑm ꝙ ipsa ꝯsideratur vt regens inferiora que ꝑm cõe genus cõueniunt: ꝛ hoc fit optime per virtutẽ heroicã: hec aũt fit ꝑfectio totũ rõis regẽtis bonũ sicut sui summũ ordinał ad bonũ diuinũ qđ est intellect⁹ bonũ qui sol⁹ diuin⁹ est in no= bis. Primũ ergo bonũ est nature cõis: scđm specialł: ꝛ terciũ di uine. Propter quod dicit socrates de⁹ hoc bonũ facit cum im mortalibus dijs maximã habens conuenientiam.

☞ Conclusio tercia. Potissima virtus moralł qua frenanł imper⁹ et passio= nes cõcupiscentie est cõtinentia: et virtus moralis qua homo optime se habet in cõmunicatõe cũ alijs est amicicia: amicicia eñ cõsistit in honesto. Et istas vir tutes cũ alijs de quib⁹ tractał in ethicis acquirit anima ꝑ studiũ et op̃ationũ asuefactionẽ ꝑm rectam rationẽ ꝓut sapiens vtiq₃ determinauit.

Cũ igitur illud qđ est ꝑpetui ordinis ab anima accipił ex bo= no morali: et quod est rationalis regule accipił ex bono heroi= co: ꝛ ex his suffulta anima rationalł cõiungił bono diuino/am mirabiles et puras et firmas et quales deus habet habẽs dele

ctationes: tunc perfecte felix est anima rõnalis: et cũ oĩa hec in anĩa remaneant ⁊ non sunt nisi in anĩa que talia secũ extra corpus habuerit anima felix ꝓhibet̃ esse a philosophis: et ꝑm hoc perpetua gaudere felicitate: ꝓpter qđ Arestotiles dicit in libro de natura deoꝝ ꝙ socrates solꝰ inter oẽs mortales cuiꝰ maxĩa cũ dijs immortalibꝰ fuit cõmunio factus est diuinꝰ diuina singulis colligendo: in moralibꝰ adeptus mediũ quod sapiens ꝑ sapiẽtie rationẽ determinauit: hoc diuinũ eñ est ⁊ ꝑpetuũ. In intellectualibꝰ aũt rationem rectã in scibilibꝰ intelligibclibꝰ et sapientie subiectis et factibilibꝰ per artẽ ⁊ agibilibꝰ per voluntatẽ ⁊ prudentiã. In heroicis aũt mensurã oĩm adeptꝰ est mẽtis: que omnia diuina sunt et perpetuas et discussas habentia rationes et virtutes ⁊ essentias. In diuinis aũt q̃tũ sibi possibile fuit adeptus est lucẽ ⁊ delectationẽ diuinã ex quibꝰ diuinꝰ effectus vt tradit plato felix viuit ꝑm intellectũ eo qđ mortale fuit in ipo deposito. Econtra aũt hi sunt quibus nulla est cura pulcritudinis illud quod diuinũ est in ipsis ꝯuertũt ad sensuz ⁊ rationẽ/ ⁊ lumen mentis extinguũt ipetu brutalitatis: ⁊ tota brutalitate in eis per passionũ excellentias corrupta/ cum anĩe ipsoꝝ resoluunt̃ a corpore/ remanent in eis desideria passionũ et tristicie eoꝝ oꝑa oĩm insecutionũ sunt ꝓsecute: ⁊ in hac tristicia ⁊ desiderio destitute tristes manent ineternũ: eoꝝ intelligi

bile ipsoꝝ non illuminatū ꝛ figuratū in corꝑe post mortē nulli⁹
bonitatis ē susceptiuū. Et hec in hoc capitulo cōtinenꝫ que de
immortalitate anīe tradidit socrates sicut de ipso narrat pluti-
nus philosophus in quodā libello suo quē de differentijs vir-
tutū composuit: ꝛ solū diuinū sanctum sapientē esse dixit/et in
hunc probauit non posse cadere ꝑturbationē. In talibus igiꝫ
bonis est status anime pure post mortem ſm affectum.

Quarta cōclusio et vltima Ania que se nō cōuertit in corꝑe ad virtutē ꝗuis inchoatiue habeat eā ad rectā rationē et ad habit⁹ a ratione recta acquisitos: sed q̄ moueꝫ quotidie ad appetitus ꝛ passiones carnales sine respectu ad rectā rationem sapientis: post exitū ei⁹ a corpore manet affecta talibus passionibus ꝛ non potest exire in delectationē operis carnalis propter separationem eius a corpore: ideo ineternū manet tristis. Hec ergo socrates de ꝑfectione anime post mortē ſm statum virtutum dixit. Et tm̄ de hoc capitulo.

Capitulum decimūquintum de sententia platonis circa felicitatem et infelicitatē anime post mortem.

Plato autē in moralibus suis vt de ipo apulegius narrat aliquātulū deuiat ab hac via. Dicit em̄ ſm intellectū inesse in anīa omnes omniū ītelligibiliū formas ꝛ esse animā harū immemorē ꝑpter vndā lactis qua concipiꝫ et nutriꝫ. Cuius signū esse dicit: qꝛ cū flux⁹ lactis siue nutrimenti fortis sit in suꝑiora in pueris/ē intellect⁹ in eis sicut in ebrio vel sicut in epilentico qui licet multa sciat tm̄ non tunc vti pōt nisi prius esset motus vini in suꝑiora. Signū autē eius quod dicit est in omni somno in quo ꝑpter fluxū nu-trimēti in suꝑiora patitur homo aliquid epilentie: simile est in

somnio quod est somni passio mouet perturbata aia sapientis ad fantasma sicut facit anima pueri z ebrij. Cum tm̄ ꝯstat aiam sapientis in somno z ebrietate et epilentia hr̄e habitū sapiētie: licet non vtatur eo tunc: et similiter dicit esse in omni anis oim habituū virtutis moralis z intellectual' et heroice/licet nō vtatur eo anteꝙ per studiū erudiret virt⁹ intellectualis et ꝑ asuefactionē virt⁹ moralis. Uirtutē aūt heroicā plato hoc noie nō noiauit sed vocauit virtutē purgatoriā q̄ delectatōes et tristicias non modo non sequit/sed etiā omnino non sentit: z hanc dicit enitescere in mente per longā a delectationib⁹ auersionē. Hu i⁹ aūt simile ponit in flama que in viridi quidē est obscura et fumosa et per solā aquosi humoris rarefactionē efficit clara et lucens. Silr aūt qd̄ per solā asperitatē sūꝑficiei ē vmbrosuz et per pulsionē simplicē efficit politū z nitens vel fulgidū. Ad hoc ergo redit dictū platonis ꝙ studia z asuefactiones nō aliquid conferunt intellectib⁹ aut affectibus sed tm̄ remouent cōtrariū impediens: et tunc anima ꝑ hoc ꝙ habet apud se habit⁹ intellectuales et morales/agit perfecte z oꝑatur tā circa intellectualia ꝙ circa moralia. Et hoc etiā videt sentire boetius in de consolatione philosophie vbi dicit ꝙ si platonis musa ꝑsonat verū qd̄ qsqꝫ discit immemor recordat. Qr aūt hec alibi in scientia de aia disputata sunt/sufficiant ea que nunc dicta sunt Sed h̄ qd̄ oportet accipere ex verbis istis hoc est ꝙ plato aiaz

ex eisdem felicē esse dicit idest ex scientijs ꝛ virtutib⁹ ponit esse et infelicē: ex quib⁹ et nos ſm peripatheticos diximus eā esse felicem ꝛ infelicē: licet aliū modū ponit plato ꝙ nos posuerim⁹. Ex virtutib⁹ enī moralib⁹ et intellectualib⁹ et heroicis ꝛ diuinis dicit inesse felicitatē anie/ ꝛ ex cōtrarijs harū dicit ei inesse infelicitatē: sed dicit has naturaliter inesse anime et per studiū enitescere eas ꝛ ꝑ asuefactionē. Nos āt ꝑ studiū ꝛ asuefactionē dicim⁹ has acqri. Sꝫ h̄ disputatio alteri⁹ scie magis ē ꝓpria.

In capitulo decioquinto dn̄s Albertus primo intendit istā ꝯclusionē pmā Plato qͣtū ad virtutes practicas concordat cū socrate et peripatheticis dicēs aiam ſm statū taliū virtutū perfectā esse post mortē: sed differt in hoc a peripatheticis quia dicit istas virtutes anie esse cōnatas sed eis nō posse vti in corpe ꝓpter molem corꝑis et continuā turbationē quā habet in corꝑe: ꝛ ideo studia nostra et bonoꝝ operū asuefactōes nihil aliud faciunt ꝙ ꝙ remouent ꝓhibētia animā ne vtatur virtutibus sibi connatis: peripathetici aūt omnes dictas virtutes dicunt animā acquirere de nouo per studiū ꝛ exercitiū bonaꝝ oꝑationū.

Amplius: Plato ꝓpter h̄ ꝙ hec virtus clausa dr̄ esse in aīa dicit aīas ita diu de generatōe in generationē transcorporari donec in aliquo corꝑe enitescāt. Nos aūt imꝑfectā et turpitudini animā deditā dicim⁹ ſm ꝑipatheticos ꝑpetue manē obscurā ꝛ tristē ꝛ destitutā. Qd āt his penis addaṫ ſm leges diuinas q̄ꝛū iudiciū aīaꝫ p⁹ mortē sustinē opꝫtet/ nō pōt detminari ꝑ phiam aliquā: ꝛ ideo hec alie scie et alteriusmōi iuestigatōi ē refuādū

Conclusio secunda Plato etiā discordat a peripatheticis in hoc ꝙ dicit animā rōnalē trāscorporari vsqꝫ clause in aliquo corꝑe enitescant ꝟtutes sue: peripathetici ꝟo animā imꝑfectioni et turpitudini deditā statim post mortē dicūt manere perpetuo obscurā ꝛ tristem ꝛ illuminationib⁹ diuinis destitutā. Et si aliquid de penis addatur anime ſm leges diuinas hoc determinare non pōt aliquis phūs pure naturaľ: iō ad alterā remittaṫ facultatē vtpote theologicā.

Caplm. XVI. de oꝑationibus anime et quid agat post mortē.

Ltimo autem in hac sciē
tia de aīe natura intelligere oportet quid agat ꝛ q̄d
operis habeat post corpis depositionē anīa imortalis q̄ rōnal
est. Dico aūt vtrū agat in potentijs nutriendi et augēdi vl' ge
nerandi ƀm potentiā vegetabilē ipsius. Licet aūt quedā legū
epicureorū philosophoꝝ aias pꝰ mortē dicebant cibos appetē
et ambrosiā in alimētū ꝛ nectar deorū accipere in cibū: tñ q2 he
nulla ratione ꝓbari possunt his non est ꝯsentiendū. Et iō non
est credendū ꝙ aliquid taliū agat anima vel operet pꝰ mortē:
he eñ potentie ꝛ silr ille que sunt ƀm sensibilē partē sunt in aīa
intellectuali ƀm esse intellectuale participatū sicut actus parti
cipatur ab eo qd est potētia: ꝛ ideo nō hñt actus ꝓprios nisi qñ
cōiuncte sunt organis quoꝝ sunt ꝑfectiones. Cū aūt resoluūt
organa stant sub actu intellectꝰ: et bonū intellectꝰ est ꝑ redūdā
tiā in ipsis. Sicut eñ mō dum in corꝑe manemꝰ aliqñ sentimꝰ
delectationes diuinas / q̄ anime ƀm simplices intellectꝰ sunt in
tantū ꝓfundate ꝙ auertunt nos a sensu ꝛ imaginatōe ꝛ nutri-
tione: ita multomagis tota aīa vsqȝ ad fundamenta sua replet
diuinis delectationibꝰ cōtrarium nō hñtibus: ꝛ sic tota felix et
delitijs plena ꝑmanet: ꝛ ideo solus tunc operat intellectus ad
oꝑationē eiꝰ cōnaturalē ꝛ ꝓpriā et in nulla parte impedita to-
ta redundat anīa in delectatione ꝛ diffusione: ꝛ hoc est eā gau-

dere gaudio pleno cui nihil admiscetur de contrario.

Istud est capitulũ penultimũ huius scđi tractatꝰ in quo dñs Albertus de-
terminãs de oꝑationibꝰ quas anima exercet a corꝑe exuta intendit primo istã
ꝯclusionẽ primã Opinio epicureoꝝ dicentiũ animã hũanã a corpore separatã
ambrosiam (que est cibus et nectar deoꝝ) appetere nõ est rationi ꝯsona: qꝛ ꝺm
probata vegetatiuũ ⁊ sensitiũ sunt potentie in organis corporeis oꝑatões su-
as exercentes: quibꝰ deficientibꝰ post mortẽ actus ꝓprios exercere nõ possunt
quos solũ exercent mediante corpore: ⁊ ideo iste due potentie in anima a corꝑe
seꝑata terminate sunt ad esse actuale intelligibile: ⁊ qꝛ operatio sequit̃ eẽ nullã
hñt oꝑationẽ nisi intellectualẽ. Intellectus eñ redundat in potẽtias sensitiuas
et vegetatiuas in aĩa a corꝑe separata: sic ꝙ tota delectatio earũdẽ potẽtiaꝝ ẽ
in delectatõne speculatõnis intellectꝰ nullũ impedimẽtũ neqꝫ ꝯtrariũ hñte ⁊ iõ
tota aĩa gaudio cui nihil admiscet̃ de tristicia plena ẽ et ꝑ ꝯsequẽs tota felix.

Est aũt opus suũ ꝺm dictũ sapientũ duplex. Theophrastus ⁊
oẽs qui arestotil' sequunt̃ doctrinã dicunt opus suũ esse in con
uersione ad lumen intelligentie et cause prime / ex qua fluũt ei
forme intelligibiles lucide et pure / in quibus cõtinue speculat̃
bonitates intelligentiaꝝ et cause prime. Est aũt aĩa vt dicunt
sub intelligentia sicut natura est sub aĩa: ideo sicut aĩa formas
suas impmit in naturã ita vt natura acta ab aĩa agat ad formã
aĩe / ita intelligentia impmit in aĩam sic ꝙ aĩa rõnalis agit ĩ cõ
templando ad formã intelligẽtie: et iste modus nõ ẽ improba
bilis: et hoc mõ etiã intelligentie seꝑate omnino sua lumina et
suos ꝯceptus ingerũt aĩabus in oraculis ⁊ alijs modis diuina
tionũ sicut dicũt epicurei phi. Aliꝰ aũt modus est ꝺm supdicta
ꝙ videlꝫ aĩa iã illuminatũ et ꝯfortatũ intellectũ hñs ꝑ se possit
ad intellectꝰ reꝝ ꝑuenire. Uidemꝰ eñ ꝙ intellectus põt perue
nire ad res intelligendas abstrahendo a fantasmate mõ dum
est in corꝑe ⁊ ꝯfortatus põt ad ĩtellectũ diũinoꝝ: et hoc modo

dicim⁹ q̄ sicut mō ordinat ad res quas lumine suo abstrahit a fantasmatibus rex/ita sepat⁹ oīno pōt sup̄ ip̄as res extra aniā existētes vt lumine suo abstrahit a reb⁹ ipsis et intelligat eas: ꝛ tūc oīs talis intellect⁹ determinat p sui intelligibił ad rē cōpationē/ sicē et nūc determinat p reflexionē sui itelligibił ad imaginationē ꝛ sensū. Hoc mō apud intellect⁹ sepatos magn⁹ dixit dyonisius esse rex sensibiliū cognitiōes isensibiliter ꝛ im materialit. Nec aliqd iuenit qd huic positōi repugnet. Si eñ dicat aliquis q̄ nō sit intellect⁹ nisi p abstractionē: dicem⁹ hoc vex esse: sed nos ponim⁹ q̄ pōt fieri abstractio a re p intellectū sicut a fantasmate: et addim⁹ q̄ q̄diu intellect⁹ est obumbrat⁹ corpe indiget adiutorio sens⁹ ꝛ imaginatōis ꝛ intelligit cū cōtinuo ꝛ tempe: separat⁹ aūt et ꝯfortatus luce intellectox (sicut diximus in antehabitis) per seip̄m sufficit a reb⁹ ipsis facere abstractionē et hunc modū intelligendi posuit theofrastus: ſ in h differt a nobis q̄ ipse in aīa non dixit esse nisi intellectū agentē. Nos aūt dicim⁹ esse in aīa/et intellectū agentē/ꝛ possibilē: ꝛ formā abstractā per lumen agentis moueri ad possibilē sicut ad suū locū in quo est vbiq ꝛ semp. Sicut eñ forme generate in materia cū ipsa forma est dat motus ad locū et ipse locus sicut determinatū est in octauo phisicox: ita forme simplici cū h q̄ facta est simplex datur loc⁹ in quo ē ſm eē simplex/siue hoc

ꝑat ꝑticulariť a luce corporea / siue a luce intellectuali: ꝫ a luce

corꝑea efficiť in ꝑspicuo: a luce intellectuali efficiť in intellectu

possibili. Et iste modꝰ ē faciľ ⁊ planꝰ inť alios mōs itelligēdi.

Secunda cōclusio Duplex est oꝑatio anime rōnalis post mortē. Prima est ſm dictū arestotilicū conuersio eiꝰ ad lumē intelligentiaꝝ ⁊ cause prime: ex quo quidē lumine fluunt oēs forme intelligibiles. Et iō sicut anima in generatione hōis imp̄mit in naturā ⁊ dirigit eā vt agat ad sui opportunitatē: ita intelligē-tia imprimit in animā rōnalē lumen vt speculeť ⁊ ꝯuertat se ad intelligentias ⁊ causam primā. Et ad hoc anima in corꝑe mouens ⁊ manens disponit se vehe-mentibus ⁊ intimis oraculis. Alia oꝑatio est qua mediāte anima rōnalis per lumē cōfortata ⁊ illuminata pōt per se ⁊ sine imaginatiōe ac sensu ad intellectꝰ id est ad intellectiones rerū peruenire abstrahendo ab ipsis rebus immediate proprias rerū spēs silitudines ⁊ imagines per quas ꝑfecte ipsas res intelligit. Duplex igitur est abstractio intelligibilis speciei: quedā est a specie fantastica q̄ est obiectū potentie sensitiue fantastice: quedā est immediate a re ipsa cuius est species: ⁊ talis species abstracta lumine intellectꝰ agentis recipitur in intellectū possibilem sicut spēs coloris lumine solari abstracta recipiť in ꝑspicuū. Prima abstractione vtiť anima rōnalis in corꝑe exñs qꝛ ſm Aresto. in tercio de ania necesse est quēcunqꝫ intelligentē fantasmata speculari: ipsa eñ in corꝑe tanqꝫ in carcere detenta per se absqꝫ opitulamine sensuū interiorū vtpote fantasie ⁊ sensꝰ cōmunis species intelligibiliū rerū abstrahere non valet que essent cōducentes ad cognitionē quidditatū illaꝝ rerū: vnde ſm sapientē sapientie nono. Corpꝰ qđ corrūpiť aggrauat animā ⁊ terrena inhabitatio deprimit sensuꝫ multa co-gitantē. Secūda abstractiōe vtiť a corꝑe separata tanqꝫ ex carcere liberata: lu-mine suo confortato a luminibꝰ intelligentiaꝝ ⁊ p̄me cause se sola ꝯuertit se ad res intelligibiles abstrahendo ab ipsis immediate sine cōuersione ad fantasiā species intelligibiles. Sequitur correlariū Theofrastus ponēs solū intellectū agentē in aia hūana nōdū vidit naturā aie hūane q̄ est in actu abstractiuo spe cieꝝ intelligibiliū ꝑ intellectū agētē ⁊ in potētia susceptiua specieꝝ abstractarū. ꝑ intellectū possibilē. Nihil eñ ſm idē respectu eiusdē ē tā in actu qꝫ in potētia cū actꝰ ⁊ potentia non parū imo multū distant ⁊ differunt. Uerus igiť modus intelligentie anime hūane in corꝑe existentis ē taľ: qꝛ id intelligiť ab intellectu cuiꝰ silitudinē apud se habet: sed similitudo rei intelligibilis materialis venit ad intellectū abstracta per intellectū agentē a speciebꝰ suis sensibilibꝰ: igitur id ab intellectu anime hūane apprehendiť qđ aliquo modo fuit in sensu: ⁊ qꝫuis species rei intelligibilis spiritualis vt intelligentie non habeat speciē sensibilē: ipsa tñ res intelligibilis spirituaľ nō nisi ꝑ species sensibiles aliaꝝ rerū intelligi tur ab anima rōnali adhuc in corꝑe existente sicut ⁊ seipam cognoscit sicut alia id ē per species aliaꝝ rerū iuxta Aresto. ꝟbū in tercio de anima. Et qꝛ vis appe titiua cōmensurať vi apprehensiue (teste ouidio in tercio de arte qui ait ignori nulla cupido) voluntas ipa que est appetitꝰ intellectiuus solū fertur in obiectū intellectꝰ. i. in rem ab intellectu conceptā ⁊ cognitā: que imperat potētie motiue pro consecutōe boni intelligibilis sicut ⁊ appetitiua sensitiua ꝯuenientis sensi-bilis adipiscendi causa imperat potentie motiue. Ex quo patꝫ ꝙ in regno ani-me sunt decē ⁊ nouē potentie scꝫ potētia nutritiua generatiua ⁊ augmentatiua

que etiã reperiunt̃ in plantis: potẽtie ſenſitiue cognitiue quaꝝ quinq; ſunt ſen=
ſus exteriores ⁊ quinq; interiores: potentie appetitiue quaꝝ due ſunt ſenſitiue
ſcilicet appetitꝰ concupiſcibilis ⁊ iraſcibilis ⁊ vna intellectiua ſcꝫ voluntas: due
potẽtie intellectiue cognitiue vtpote intellectꝰ agẽs ⁊ intellectus poſſibil' ⁊ vna
potẽtia motiua in corde ſubiectata ſm̃ q alia mẽbra cordi ꝯiũgũt̃. Utꝝ aũt in=
tellectꝰ ſit nobilior potẽtia in regno aĩe hũane aut volũtas: relinq̃t̃ diſputãtibꝰ.

Si quis aũt q̃rat quã cõmunicationẽ habeat intellectꝰ agens cum re in quã agit abſtrahendo: dicendũ ꝙ talẽ habꝫ lumẽ intellectꝰ agentis cũ formis reꝝ / qualẽ habet lux corporea cũ coloribus. Quedã eñ luces ĩcorporate ſunt coloribꝰ: ſ̃r quedã lumina incorporata intellectꝰ agẽtis ſunt formis reꝝ: ſicut ptꝫ per añdicta in quibꝰ oñſum eſt intellectũ agentẽ eſſe ꝓmũ mouens et agens in tota natura: ⁊ hec ſufficit cõmunicatio abſtractioni: hoc eñ modo quo abſtractũ eſt in potentia ⁊ abſtrahẽs in actu ⁊ connaturale ſibi: et hec ꝓncipia tali ſufficiunt actioni qual' eſt abſtractio formaꝝ: q̃ nihil aliud ẽ ꝙ̃ expoliatio eaꝝ ab eſſe materiali et corporeo et acceptio earũ ſm̃ eſſe ſimplicis.

Hic dñs Albertus ſoluit quoddã dubiũ quod poſſet oriri circa dicta: ⁊ pri
mo format illud: ſecundo ſoluit. Dicit ergo ſi queratur quã cõformitatẽ habet
intellectꝰ agens anime hũane ad rem a qua abſtrahit ſpeciẽ: dicendũ eſt ꝙ ha=
bet cõformitatẽ illã que eſt inter potentiã et actũ. Res eñ ẽ intelligibilis ⁊ ap=
ta nata mouere intellectũ poſſibilẽ ſi fuerit per actũ intellectũ agẽtis denudata
a cõditionibꝰ materialibꝰ intellectionẽ impedientibꝰ. Sicut in ſimili color lumi
ne ſolari ſpiritualizatꝰ viſibilis ẽ actu. Sꝫ ſi querat̃ quã ꝯformitatẽ aĩa a corpe
ſeꝑata habebit cũ rebus ſenſibilibꝰ: dñm ꝙ cõformitas illa eſt in participatiõe
luminis intellectus primi: ſicut eñ anima rõnalis habet ſuũ lumen per partici=
pationẽ luminis intellectꝰ primi: ita ⁊ forme ſenſibiles ꝑticipant lumẽ intellectꝰ
primi in quo ſunt. Quia cuiuſlibet eſſe nõ niſi participatus radius diuini in=
tellectꝰ eſt: q̃uis res materiales ipm̃ materialiter ſuſcipiunt: intellectus ꝟo im=
materialiter: ⁊ hec cõformitas intellectꝰ agentis ad rem intelligibilẽ ſufficit ad
abſtractionẽ intellectiuã. Concluſiue igit̃ habet̃ ꝙ intellectꝰ lumine ſuo ſpecies
et intentiones ſeu cõceptꝰ reꝝ a materia denudat clarificando ac depurando et
ipãs illuminatas locat ſub eſſe ſimplici ⁊ immateriali in intellectũ poſſibilẽ qui
impregnatus concipit verbum intelligibile cuius ſignum eſt verbum oris ſm̃
Areſto. in primo perihermenias dicentẽ. Sunt ergo ea que ſunt in voce, i. ꝟba

ab ore plata: signa earũ passionũ que sunt in anima.i.verbo mentaliũ et intelligibiliũ. Utrũ aũt verbũ cordis qd ples mentis dr semp sit accidens in nobis aut non: dicam in tractatu de intellectu et intelligibili.

Capitulum decimũseptimum et vltimum de operatione intellectus sm eos qui sequuntur Platonem.

OMnes autẽ moderni tẽporis existẽtes modum tenent platonis circa intellectus operationes. Dicunt enim in omnibus separatis a corpore intellectibus esse formas omnium rerum ydeales cõcreatas ipsis intellectibus/ quas dicũt esse similes ydeis eternis et formis artis: et p has esse intellectus rerũ apud intelligentias separatas: dicentes q ille forme habent species similes toti ordini causa nature vniuerse in superioribus z inferioribus causis. Qualiter aũt iste forme ad res cõparantur: isti nõ possunt dicere. Adhuc aũt qualiter he forme efficiant ppie cum nihil omnino accipiant a rebus: isti dicere nõ possunt. Propter qd etiã quidã pho consenserunt non esse apud aĩas separatas z intellectus sepatos nisi vniuersalia rerũ: ita q de nullo habẽt scientiam in natura nisi in vniuersali: hec aũt scientia est valde imperfecta: et qua habita non scitur res sed ea nõ habita ignoratur res: z sm hoc eorũ intellectuũ qui sunt omnis scientie pncipia potissima/ scientia imperfectissima erit oĩm scientiarũ et nullam rem scient nisi solum in potentia. Et hoc videtur mihi

abſurdum eſſe. De his tamen omnibus primo philoſopho de-
terminare neceſſe eſt. Sed de his que diximus hic cū natura
libus methaphiſicam compoſuimus vt perfectior ſit doctrina
et facilius intelligentur ea que dicta ſunt: hec enim eſt conſue-
tudo noſtra in toto hoc philoſophico negocio. De generatio
ne et diſtinctione et natura et ſtatu anime et corruptione ⁊ ope
re/ tantum dictum eſt a nobis.

☞ Iſtud eſt capitulū vltimū in quo dn̄s Albert⁹ doctor nr̄ in ſumma vult
iſtā vnicā cōcluſionē. Quidā philoſophoꝝ platonē ſequentes dicebant in ani-
mabus ⁊ alijs intelligentijs eſſe ſpecies ydeales (quas vocant ſpecies ordinis
vniuerſi) per quas hn̄t totius ordinis in natura noticiā: quas quidē ſpēs nō
ſumūt a rebus ſed potius auctor totius ordinis vniuerſe machine mundialis
influit eas ipſis intellectib⁹. Sed hec opinio ſtare nō pōt: q2 ſm hanc anima
rationalis vl' quicunq; alius intellect⁹ non haberet noticiā de rebus niſi in vli:
quia rationes reꝝ a reb⁹ non ſunt abſtracte: ⁊ ſic non videꝛ qualiter intellectus
eas ad res cōpare poſſet tanq; ꝓprias ipſis rebus ſed ſolū acciperet rationes
rerū ſm eſſe qd̄ habēt in cauſis ſuis qd̄ eſſe eſt potentiale: et ſic ſequereꝛ ꝙ non
hr̄et noticiā niſi imꝑfectā ⁊ ꝯfuſam ſeu in vniuerſali qd̄ tn̄ falſuꝫ eſt: q2 queli-
bet intelligentia ꝑfecte noſcit rem et ſm ꝙ eſt in ipſa natura ⁊ non ſolū ſm eſſe
potētiale ſiue ſm eſſe qd̄ hꝫ in ſuis cauſis Ex omnib⁹ his apparet quō rōnalis
anima oriꝛ ⁊ quō incorporaꝛ ⁊ quō ſe hꝫ ad ſtatū quē hꝫ poſt corporis depoſi
tionē ⁊ diſſolutionē. Patꝫ etiā ꝙ ipa immortal' eſt ⁊ q̄ ſit ſua oꝑatio poſt mor
tē id eſt ſeparationē a corpore corruptibili. Eſt eñ ſua operatio ⁊ ſtatus ei⁹ per
fecta ſpeculatio ⁊ cognitio omniū rerum ſm puriſſimum eſſe quod habet in lu
mine primi intellectus et potiſſima ſpeculatio primi entis cui affigitur vt ſūmo
bono ⁊ ſūmo delectabili in quo delectaꝛ delectatōe cui nulla annexa ē triſticia.
Ad quod bonū nos perducat qui viuit et regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

Finit.

B Onarũ artium studẽtes
ſm hortamina pauli ad coloſenſes.4. In ſapiẽtia ambulate ad eos qui foris ſunt / temp⁹ redimẽtes/ in quos fines ſeculorum deuenerunt. Sermo veſter ſemper in gracia ſale ſit conditus/ vt ſciatis quomodo oporteat vos vni cuiqꝫ reſpondere: et iuxta eiuſdem vocem prime ad corinthi=os.14. Nolite pueri effici ſenſibus ſed malicia paruuli eſtote: ſenſibus autem perfecti eſtote: ſicut ꝛ ipſe paulus de ſeipſo inquiens p̃me ad corinthios.13. Cum eſſem paruulus loquebar vt paruulus: ſapiebam vt paruulus: cogitabam vt paruulus. Quando autem factus ſum vir/ euacuaui que erant paruuli: Si ergo neſciero inquit prime ad corinthios.14. virtutem vocis: ero ei cui loquar barbarus: ꝛ qui loquitur mihi barbarus. Vis aũt ſermonis nunquid ne ſignificatio eſt que eſt rei ab intellectu concepte? Cuius cognitionem ſcientialem domin⁹ Albert⁹ magnus ꝯ in opuſculo luce meridiana clariorẽ maiſtraliter in medium ducit. Scrutamini obſecro philoſophie zelatores Alberti magni dogmata: venite thomiſte: appropiquate ſcotiſte vna cũ occaniſtis. Oĩa probate conſilio ducti apoſtoli ad coloſenſes vltimo et quod bonum eſt tenete ad effugãdas ignorantie veſtre tenebras. Si quis eñ ignorat (vt ſonuit tuba apoſtolica prime ad corinthios.14. capitulo) ignorabitur. Sed quomõ ſciet alia ſuipſius neſcius? Quobrem inueſtigamini naturam aĩe intellectiue humane cuius cognitio a p̃fato domino Alberto a ſua origine ꝑ operationes ſuas ad eius immortalem ſtatũ preſenti in libro via ſcientifica reſeratur: vt nũc per ea que facta ſunt ꝛ intellecta in lumine nature ꝛ fidei/ tunc ꝟo reuelata facie in lumine glorie gloriam domini rerum formas opificis ſpeculantes viſione intellectuali ꝛ fruitõe ſeu dilectione beatifica in eandem imaginem transformamini a claritate in claritatem tanq̃ a domini ſpiritu: et vt integer ſpiritus veſter et anima et corpus ſine querela (canẽte tuba mortui reſurgite) in aduẽtu domini noſtri ieſu criſti qui eſt verbũ intelligibile diuinum / ſeruetur: in cui⁹ nomine flectitur omne genu celeſtium terreſtrium et infernorum: cui eſt honor et gloria: magnitudo et magnificentia: virtus et poteſtas: regnum et imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

Epitaphiū dependens ad sepulcrū venerabilis do
mini Alberti magni quondaꝫ Ratispoñ. eccl'ie epi-
scopi in choro fratrum predicatorum colonie.

Fenix doctorum: paris expers: philosophorum.
Princeps: verborum vas fundens dogma sacrorum.
Hic iacet Albertus preclarus in orbe disertus
Pre cunctis certus assertor in arte repertus
Maior platone: vix inferior salomone
Quem tu christe bone doctorum iunge corone
Annis bis denis minus actis mille trecenis
Christi nascentis de corporis exit habenis
Quinta post festum Martini luce molestum
Ore petendo deum transiuit agens iubileum

Gentilium litterarum interpretis clarissimi Alberti magni De origine et immortalitate anime humane liber cum compēdioso commento saluo semper iudicio aliorum melius sentientium castigatus / philosophicis punctis tanq̄ ditissimis exuberans ferculis vt abundet qd perfectus comedat: abūdet etiam quod paruulus sugat. Ibi est eñ simul et lacteus pot9 quo tenera studentium nutriatur infantia: ibi et solidus cibus quo robusta perfectorꝫ iuuentus philosophie accipiat incrementa Ibi est qd omni etati congruat: ibi quod omni ꝓfessioni cōueniat. Impressus inpensa Caspar Hochfeder ciuis Nurenbergens. quinto die ante calendas mēsis Julij. Anno incarnationis verbi intelligibilis diuini Millesimoquadringentesimononagesimotercio finit feliciter.


BIBLIOTECA
XV
NAZIONALE CENTRALE
FIRENZE

